



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

1. Qvod necessarium sit gratiam in educatione factam sibi agnoscere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

INCIPIT PRIMVS

LIBER DE ERVDITIO NE

*Religiosorum, qui ordinat religiosum ad mun-
dum. Et continet quatuor partes. Quarum
prima, gratiam viro religioso in educatione de
seculo à Deo factam indicat: & diuiditur in
oçto capita. In quorum primo declaratur
quòd educto de seculo, necessariũ
sit gratiam in educatione fa-
ctam sibi agnoscere.*

CAPVT I.



QVI gratiam acceptam non agnoscit, & de ea gratias non agit, & de eius amissione non dolet: se ipsius gratiæ recuperatione reddit indignum: & maxima castigatione & Dei punitione dignum: & alterius gratiæ susceptione indignum. Augustinus dicit super illud, Non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. Quod Deus dederat gratis, tulit ingratis. Non est dignus dandis, qui non agit grates de datis. Bernardus; Ingratitudo est ventus vrens: ficcans sibi fontem pietatis. Necessarium est ergo illi, quem misericordia Dei de sæculo eduxit, vt magnitudinem gratiæ quam accepit, agnoscat: & frequenter de ea gratias referat Deo: vt sic gratiam acceptam custodiat: & receptione gratiæ alterius dignus existat. Ad locum vnde ex-
eunt flumina (gratiarum supple) reuertuntur,

*Rom. 1.
Glosaordi-
nar. ad il-
lud, cum co-
gnouissent.
Sermon. 51.
in Cant. &
medio.*

Eccles 3.

A vt

vt iterum fluant. Cùm eduxisset Dominus filios
 Israel de Ægypto, vbi grauer premebantur: vo-
 luit eos habere tantum beneficium in memoria,
 dicens eis: Memétote diei huius, qua egressi estis
 de Ægypto. Et sæpe eis hoc beneficium in me-
 moriã reducebat. Ego sum Dominus Deus tuus,
 qui eduxi te de terra Ægypti. Non minus bene-
 ficium est, eductio de seculo, per eius cõtemptum
 & religionis ingressum, eductione corporali de
 Ægypto. Vita enim amatorum mundi, illorum
 scilicet qui amant bona mundi, vsq; ad contem-
 ptum Dei, graui seruitute premitur. August. Ma-
 lus tot dominorum seruus est; quot vitiorum.
 Voluptuosus seruus est serui sui, scilicet corporis
 sui, cui obedit, etiam mortem suam imperanti: &
 est valde grauis seruitus ista. Per tria mouetur
 terra: & quartum sustinere non potest. Per ser-
 uum cùm regnare ceperit. Auarus seruus est aua-
 ritia, qui exhibet eum venalem; etiam vili precio.
 Item dicitur de auaro. Hic animam suam venale
 habet. Superbus seruus est vanæ gloria, quæ tan-
 tum tributum ab eo exigit; quòd ad eius solutio-
 nem, comitatus, vel ducatus, vel etiam regnum
 non sufficit.

Exod. 13.

Psal. 80.

Lib. 4. de ci-
 uitat. Dei,
 cap. 3. circa
 finem, 10. 5.

Pro. 30.

Eccl. 10.

*Septem considerationes, quæ valent ad cognoscendum
 magnitudinem gratiæ, in eductione de mundo, à Deo
 receptæ.*

CAPVT II.

AD cognoscendum magnitudinem gratiæ in
 eductione de mundo à Deo receptæ; mul-
 tum valere possunt septem cõsiderationes. Qua-
 rum